

persona. Quam hujus discriminis ratio? Quia Salomon loquitur de se in propria persona, ut Auctor libri, & rem scribens.

Ad Argumenta.

366 Ad primum argumentum dicimus, quod hic liber scriptus est à Salomone Hebraico idiomate, & licet modo non habeatur Hebraico idiomate, nec à multis Patribus fuerit habitus, tamen D. Isidorus vir magnus sapientia & virtute, lib. 1. de Officiis Ecclesiasticis, cap. 12. testatur Hebraice scriptum à se visum fuisse: quod etiam facit Cornelius contraria sententia sep. à citatus, & verum longe. Secundò dicimus, quod ipse Codex Hebraicus injuria temporis perit, sicut perierunt viginti libri sacre Scripturæ, ut retuli supra resol. 1. quest. 4. num. 46. Deinde sunt graves Auctores, qui dicunt, quod Hebræi non antiqui, sed moderni, hunc librum Sapientie suppresserunt, quia in eo maximè arguitur, & condemnatur Judæorum nequitia, ac malitia, qua conspiciaverunt contra Christum Dominum, ut patet ex cap. 2. num. 17. & multis aliis locis. Argumentum secundum desumitur ex auctoritate D. Hieronymi. Epist. ad Chromasium, ubi ait Stylus libri sapientie, qui Salomonis inscribitur, Græcam redolet eloquentiam. Idem videtur dicere D. August. lib. 2. de Doctrina, cap. 8. & lib. 17. de Civit. cap. 20. & confirmat D. Hieron. lib. de viris Illustribus, facit catalogum de operibus Salomonis, intra quæ nullam facit mentionem de libro Sapientie; ergo juxta D. Hieron. sapientia non est opus Salomonis, quod idem videtur tenere Euseb. lib. de Hist. Eccles. cap. 18.

368 Respondetur, quod ille codex Sapientie, quem D. Hieronymus habuit præ manibus, erat codex Græcus, ut ipsemet sanctus Doctor facit, qui codex ex Hebræo traductus fuit ab aliquo viro Græco multa eloquentia in idiomate Græco, inde rectè ait D. Hieronymus, quod redolet Græcam eloquentiam. Similiter dicendum est ad Augustin. Ad confirmationem dic, quod D. Hieronymus, inter opera Salomonis non computat librum Sapientie; tùm quia liber non erat Canonicus, & quia Hebraicè non reperiebatur. His rationibus adductis magnus sanctus Doctor non est ausus in hac re aliquid affirmare, vel negare. Cur autem Hebraicè non reperiebatur jam modò in primo argumento supra dixi. Ad id autem quod dicitur de fabulis Poetarum nullius momenti est, nam multi Poetæ Græci; ut Homerus, & alii fuerunt ante Salomonem, ad quorum carmina, & dicta potuit ipse alludere.

Operis Argumentum.

369 Ipsum nomen Sapientie, in titulo libri appositum argumentum operis optime declarat; nam, ut ait D. Isidorus lib. 3. etymolog. sapientia est sapida scientia, hoc est magna, & præclara scientia, & sapientia tripliciter considerari potest, ut advertit Loricus. Primò latè, proat unusquisque in sua arte peritus, ac bene instructus dicitur sapiens. Secundò, expressè pro dono Spiritus sancti. Tertio, ut in præsentibus, pro recto, & composito, cum vera co-

gnitione, ac timore Dei, ac reverentia ejus majestatis, à quo secundum opera, unusquisque recipit retributionem secundum sua merita, vel demerita, ut dicitur in hoc libro Sapientie, cap. 6. num. 18. Ecclesiast. 11. Sap. 6. Proverb. 11. & Deuteron. 4. & 5. & latè disse- rti: Lactant. lib. 3. de vera sapient. cap. 11. & Lactantius lib. 4. cap. 3.

QUESTIO XX.

Quis sit Auctor libri Ecclesiastici.

SUMMARIUM.

- 370 De nomine libri, ejusque auctoritate Canonica.
371 Prologus an sit Canonicus, & n. 372.
373 Multi dixerunt librum esse compositum à Salomone.
374 Compositus est à Jesu Sirach, & num. 375
376 Non obstat quod à multis Patribus dicitur compositus à Salomone.
377 Compositus est liber lingua Hebraica.
378 Explicatur quis esset iste Jesus Sirachides Auctor libri.

Hic liber dicitur Ecclesiasticus juxta Isidorum Clarum, quia utilissimus est universæ Ecclesiæ Dei. Contra auctoritatem hujus libri obtrahant Hæretici, Lutherus tom. 2. colloquiorum de libris veteris testamenti. Calvin. in anidato. Relicta Hæreticorum impietate certum de fide est librum Ecclesiastici, esse Canonicum, ut definitum est in Concilio Trident. sess. 4. in Florent. in instruct. Armeniorum, in Cath. 3. can. 43. & Gelasius Papa in Concilio Romano, anno Christi 494. & inter libros Canonicos illum ponit, ac annuerat, illumque ut Canonicum partes tam Græci, quam Latini, maximè venerantur, & citant quos larga manu citat, ac referi Cornel. à Lapide in Prologo hujus libri cap. 1.

Tota controversia in hac materia est, an Prologus hujus libri, qui incipit: Multorum nobis, &c. sit etiam scriptura Canonica: In qua re maxime decipitur Abulens, Præfat. in 1. Abulen. Paralip. cap. 17. qui asserit eundem esse Auctorem Prologi, & libri Ecclesiastici, scilicet Jesum juniorem, & contrarium expressè constat ex ipsemet Prologo, in quo hic junior testatur, quod à suo avo acceperit.

An iste Prologus sit Canonicus? est questio. Dubitant Janfenius apud Serarium citandam, & Pina in Ecclesia, ita ut nihil audeant affirmare. Tamen affirmant Gretserus tom. 1. defens. Bellarm. cap. Bonartius, Titinus in Ecclesiastic. Bonfretius in Prolog. cap. 4. sect. 14. Serarius in Prolog. cap. 8. quest. 17. Fr. Anton. à Matre Dei citat. num. 199. § sed Canon. Altera sententia, quæ probabilior videtur, negat esse Canonicum. Ita Scalante lib. 4. Clupe. cap. 43. & Cornelius in Prolog. Et ratio est, quia Jesus junior, qui composuit prologum non fuit Auctor, sed interpret libri, ut ipsemet explicat in prologo, & interpret non condit scripturam, sed interpretatur. Deinde Ecclesia approbavit ipsum librum Ecclesiastici, prologus autem est

extra corpus libri, maximè quando est ab alio Auctore diverso. Nec obstat, quod Prologus sit in ipsa Biblia, ad quod respondendum quest. sequenti.

Auctor libri.

373. Hugo. Circa auctorem hujus libri multa olim varietas opinionum, Cardinalis Hugo in Præfatione hujus libri, ait incertum esse Auctorem. Tamen gravissimi Patres tenuerunt hunc librum fuisse scriptum à Salomone. Ita Anacletus Pontifex epist. 2. D. Basilios in Regulis disp. resp. 17. D. Chrysol. in Psalm. 134. S. Maxim. homil. 2. de Pasch. D. Leo serm. 1. de Quadrages. cap. 3. D. Gregor. homil. 1. in Ezechielem, Calliodorus in Psalm. 55.

374. Tamen certissima, & vera sententia absque ullo dubio est, Auctorem hujus libri Ecclesiastici non esse Salomonem, sed Jesum Sirach, Jerosolymitanum. Sic tenet universa Ecclesia, & sic aperte dicitur non solum in Prologo hujus libri, sed etiam cap. 50. num. 29. dicitur Doctrinam sapientie, & discipline scripsit in Codice isto Jesus filius Sirach, Jerosolymita, Sicut ergo contenta in hoc libro Ecclesiastico sunt Canonica, & de fide credenda, ut pote dictata à Spiritu sancto, sic de fide credenda, quæ in hoc cap. 50. continentur, ac proinde, quod Jesus filius Sirach in Codice isto scriptus hæc. Confirmatur, quia in ultimo suorum Canonum articulo jubent adolescentem Christianos addiscere Sirach sapientiam. Ita sancti Patres D. August. lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 8. D. Hieron. in cap. 9. Danielis, sequuntur S. Eusebius lib. 8. de preparat. cap. 2. D. Athanas. in synops. de Ecclesiastico, Procopius Gazæus Præfatione in Genesi. D. Epiphani. lib. 2. hæresi 8.

375. Et quamvis tot, & præclarissima testimonia decissent, ipsa veritas luce meridiana clarior appareret, nam Auctor hujus libri Salomonis facit mentionem, & aliorum Regum, qui post Salomonem floruerunt, nempe Roboam, Ezechia, Josia; tum etiam meminit Prophetarum, qui multo tempore elapso post Salomonem resplenderunt, ut Parentis Elia, & Elisæi, ac Simoni. filij Osiæ.

376. Nec contra hoc militat, quia multi Patres, ut superius vidimus, appellant hunc librum Salomonis, quod ex multiplici causa factum est ut ait D. Athanasius citatus, quia Ecclesiasticus habet multas morales sententias, in quibus videtur imitari Salomonem. Secundò ut tradunt Driedus lib. 1. de scriptura Ecclesiast. cap. 3. & post eum Bellarm. lib. 1. de verba Dei, cap. 14. & prior omnium noster insignis Vualden. lib. 1. Doctrinalis fidei, art. 2. cap. 20. quia idè dicitur hic liber Salomonis, quia hic liber de promptu est ex Salomone, partim ex his, quæ erant edita ab eo, partim ex his, quæ ut Salomonis per omnia ora versabantur, nam Salomon multa dixit, ac dictavit, quæ non sunt scripta 3. Reg. 6. n. 32. Tunc Sirachides illa Salomonis sparsa aliquibus additis hunc librum composuit. Tertio Paulus de Palacito ait, quod Jesus filius Sirach ob suam eximiam sapientiam vulgariter appellatus est Salomon, & inde liber scriptus vulgariter liber Salomonis appellabatur.

377. D. August. D. Hieron. Eusebius. D. Athan. Procop. D. Epiphani.

378. D. August. Bellarm. Uvalden.

379. D. August. Bellarm. Uvalden.

377. Quæres in qua lingua hic liber scriptus sit. Respondeo hebraico idiomate; ut pote lingua patria, & quia suis compatriitis naturalibus Sirachides hunc librum scribebat; ergo in eorum lingua ut ab eis intelligeretur, D. Epiphani. lib. de Ponderibus, sic ait; Jesus, qui sapientiam illam scripsit Hebraice, ita ut nepos ejus cum sit interpretatus Græcè. Quod etiam docet D. Hieron. in Præfatione ad hunc librum à D. tamen Hieronymo non est in latinum redditus, sed ab alio antiquiore, nam eadem verba, quæ in nostra vulgata latine habentur, citantur à Patribus D. Hieronymo, antiquioribus, ut sunt Clemens 1. Epist. 5. Evaristus epist. 1. adducens verba illa Ecclesiast. 14. Gyrum cali circumi sola, &c. Alexand. 1. epist. 3. Callistus 1. epist. 1.

378. Quæres tamen, quis sit iste Jesus filius Sirach? Respondeo, quod Sirach extitit civis Jerosolymita, ut constat ex cap. 50. n. 29. Ejus profapia est in hunc modum. Sirach valde antiquus, & veluti caput totius generationis genuit Jesum, qui dicitur senior, & hic est, qui composuit hunc librum Ecclesiasticum. Hic Jesus senior genuit Sirach juniorem cui pater moriens Ecclesiasticum à se compositum reliquit. Ille Sirach genuit Jesum juniorem, qui Ecclesiasticum, ab avo scriptum, ut ipsemet testatur in Prologo, ex Hebræo in Prolog. Græcum idioma tradidit.

379. Iste Jesus senior, Auctor Ecclesiastici, fuit vir valde præclarus sapientia, & maximè prædoctus in scriptura, ut patet ex ipso Prologo, & ex cap. 51. n. 18. Unde à multis vocabatur Eccles. 51. Salomon, ut jam dixi, fuit valde magnus, & princeps habitus, ut ipsemet testatur cap. 5. num. 13. Exaltasti super terram habitationem meam. Fuit etiam Propheta. Sic eum appellant S. Anaclet. epist. 2. S. Evarist. epist. 1. S. Chrysolom. in cap. 6. Genes. Optatus Milevit. lib. 4. contra Donatist. Calatius Arelatenus homil. 15. & communiter alij Patres ut patet ex cap. 44. Eccles. 44. num. 16. & cap. 48. n. 10. ubi vaticinatur adventum Elia, & Enoch in fine mundi, & Christi Domini descensum ad inferos cap. 24. num. 35. Per varias regiones peregrinavit, & descendit in Ægyptum, ut patet ex Prologo, ubi Ecclesiasticum composuit, tempore Ptolomæi Philadelphii, qui Septuaginta duos Interpretes congregavit, ex quibus unum hunc Jesum seniore fuisse tradunt Genebrard. in Chronolog. lib. 2. Arietas in historia 72.

QUESTIO XXI.

De Threnis Jeremia, ac ejus præfatiumcula an sit Canonica Scriptura.

SUMMARIUM.

- 380 Threni Jeremia sunt Canonici.
381 Quod Præfatiumcula sit Canonica affirmat prima sententia cum suis fundamentis, & num. 382.
382 Secunda, & vera sententia negat. n. 384. 385
386 Respondetur ad primum, secundum, & tertium argumentum, & n. 387. 388.

- 389 Miro artificio per literas alphabeticas disposuit Propheta.
- 390 Cur quadruplici alphabeto per quatuor capita disponuntur Threni.
- 391 Una sententia affirmat, quod Jeremias composuit lamentationes tempore Regis Iochim.
- 392 Vera sententia in morte Regis Iosie.
- Deplorat mortem Iosie Regis, excidium Ierusalem, sublimius, & aliis Christi mortem.

380 **T**hienus ex sua significatione juxta radicem nominis hebraici & graeci, idem est ac fletus, seu lamentatio, & cum totus Textus Jeremiae, seu ejus libri Prophetiae cum Threnis sit Canonicus, & de fide ut certum est apud omnes, quod etiam haeretici fateantur, maxime tamen dubitatur, an praefatiuncula, quae affigitur ante ipsum primum caput, & incipit: *Factum est autem, &c.* sit Canonica.

381 **P**rima sententia in hac re affirmat esse Canonicam, ita tenet Bonartius in *Ecclesiastico*, cap. 49, num. 2. Greiserus lib. 1. *defenseri Bell.* cap. 14. §. *eisdem ob causas*, Delrius, à Costa, Tirinus *super Threnos* probant. Primum, quia in Bibliis correctis ex mandato Sixti V. Clementis VIII. in praefatione ad Lectorem, ex mente, & voluntate Pontificis dicitur: *In hac editione, nihil non Canonicum, nihil adscriptum, nihil erroneum apponere visum est.* Et hac de causa à corpore Bibliæ excluditur tertius, & quartus libri Esdrae, oratio Manasses; in corpore autem Bibliæ hæc praefatiuncula ponitur; ergo est Canonica, ut cætera contenta in Bibliâ.

382 **S**ecundò, quia Tituli & Praefationes Divi Hieronymi, in hac nova editione, extra ordinem sacrorum librorum ponuntur, quia non sunt Canonica: ergo cum hæc praefatiuncula, de qua loquimur, remaneat in ipso corpore Bibliæ, pro Canonica reputanda est. Tertio, quia quæ sunt in corpore Bibliæ, ut Canonica habentur ab omnibus, & idè hæc de causa ut Canonica recipiuntur *Prologus Ecclesiastici* Praefatio Jeremiae Epistolæ, quæ est, in cap. 6. Baruch, & praefationes D. Lucae, tam quæ habetur in capite primo ipsius Evangelij quam quæ habetur in exordio capitis primi actuum Apostolorum.

383 **O**pposita sententia est communior, & verior, quòd nempe talis praefatiuncula non sit Canonica. Et pro hac stant multi, & gravissimi Auctores, D. Bonavent. Lyran, Franciscus Lucas, Carthusian. Agellus, Sanchez, Christophorus à Castro, Cornel. à Lapide, Sixtus Senens. lib. 1. *Biblioth. 5 de scripturis apocryphis*, Salian. *anno mundi 3447. num. 43.* Bonfricius in *prologois. c. 5. sect. 7.* Lorca lib. 1. *de locis*, Galarza lib. 4. *Instit. cap. 8.* ex nostris Joannes à Jesu Maria *Canone 2. ad lamentationum intellectum*, Fr. Anton. à Matre Dei in *Isagoge script. Præhud. 1. dub. 8. digress. 3. sectione 3. num. 1.*

384 **P**robatur, primò. Quoniam hæc praefatiuncula in Hebræo, Syro, Chaldaeo, & in Arabico Textu non habetur, nec illius mentionem faciunt antiquioris sæculi Patres, ut D. Hieron. Theodoret. imò Eusebius eam expressè rejicit, ut testatur Agellus, nec mediæ sæculi Patres, ut Paschasius, Rabbanus, Rupertus, Hugo de sancto Victore; sed tantum in ver-

Bonart.  
Greiserus.  
Delrius.  
A. Costa.  
Tirinus.

D. Hieron.

Baruch. 1.

D. Bonavent.  
Lyran.  
Franc. Luc.  
Carthuf.  
Agellus.  
Sanchez.  
Cornel.  
Senens.  
Salian.  
Bonfricius.  
Lorca.  
Fr. Anton.

Hebraeus.  
Syros.  
Chaldaeus.  
Arabicus.  
D. Hieron.  
Theodoret.  
Eusebius.  
Paschas.  
Rabban.  
Rupert.

sione apud Septuaginta extat. Unde ab illis videtur addita; illi autem interpretes dumtaxat fuerunt, non scriptores Canonici.

385 **P**robatur secundò. Quia Hebræi communiter libros nominant à prima eorum voce, ut supra dixi *quæst. 4. num. 229.* Atqui Threnorum liber ab ipsis vocatur *Echa*, id est *quomodo*, quæ est prima vox primi capitis; ergo praefatiuncula, quæ est ante illud primum caput, non est pars illius libri Canonici; & idè Ecclesia feria quarta majoris hebdomadæ, cum Threnos legi sic ait. *Incipit lamentatio Jeremiae Prophetae Aleph. Quomodo sedet.* Cum ergo Concilium Tridentinum *sess. 4.* præcipiat libros Canonicos recipi, prout in Ecclesia legi consueverunt, hæc autem praefatiuncula nunquam in Ecclesia lecta est; ergo Canonica non est. Confirmatur; quia in ipsa praefatiuncula dicitur: *Factum est postquam in captivitate rediit Israel, & Ierusalem deserta est.* Atqui has lamentationes composuit Jeremias ante captivitatem populi, & destructionem Ierusalem, juxta communem sententiam, ut dicam in hac.

386 **R**espondetur ad primum; quòd si in praefatione Bibliæ dicitur: *In hac editione nihil non Canonicum, apponere visum est*, dicimus, quòd illud ibi sic scriptum habetur, factum est ab aliquo Doctore, vel Doctoribus, qui tali emendationi præfuerunt, ut advertit Serarius in *Prologo, cap. 16. quæst. 16.* Inde infero, quòd falsum est dicere illud factum fuisse ex mente ac voluntate Pontificis. Ne inde inferas, quòd saltem ex mente illorum Doctorum illa praefatiuncula erit Canonica; non inferas hoc, quia illud *In hac editione nihil non Canonicum apponere visum est*, restringendum ad ipsam litteram Textus; nam in Bibliâ est divisio Capitulorum verbi gratia hoc est caput primum, hoc est caput secundum, & tamen ut bene notat noster Fr. Anton. à Matre Dei *citatus Fr. Anton. num. 197.* ait, quòd sine controversia illa divisio capitulorum non est Canonica, & quòd si detur liber sine tali divisione erit Canonicus, sicut Genesis dicitur in Bibliâ, quod Hebræicè dicitur *Beresit*, & tamen si detur Bibliâ sine tali translatione verbi gratia Liber Genesis, Liber Exodi, talis liber erit canonicus, ac proinde cum dicitur, *nihil non Canonicum apponere visum est*, hoc est in ipso corpore Textus.

387 **A**d secundum respondetur, quod Praefationes D. Hieronymi in hac emendata editione exclusæ, quia erant novæ, ac recentes, & extraneæ, & non valde antiquæ, & ab antiquo tempore in ipsa Bibliâ ut ista praefatiuncula, quæ antiquissima est, utpote à Septuaginta facta, quæ jam tot sæculorum tempore præcessit, & ab auctoritate septuaginta, quæ valde magna est, tanquam appendicula posita est in scriptura.

388 **A**d tertium dicimus, quòd Prologus Ecclesiastici, de quo dixi superiori quæstione, *num. 371.* juxta multos non est canonicus, & esto quod admittatur juxta alios, in illo Prologo loquitur Stracides in propria persona, indicans rationem, quomodo illum librum acceperit ab Avo suo, quod multum conducit ad auctoritatem ejus, ac in hac Praefatiuncula loquitur de Jeremia per tertiam personam

Hebraeus

Ecclesia.

Trident.

386

Serarius.

Fr. Anton.

Genesis.

387

388

389 **p**ersonam sed Jeremias, & planxit. In quo ostenditur, Praefatiunculam esse ab alio scriptam, & non ab ipso Propheta. Ad id autem, quod dicitur de *Praefat. Epistol. Jeremiae*, in *Cap. 6.* Baruch, & de Praefatione apud D. Lucam tam in Evangelio, quam in actis est multum dispar ratio, nam istæ praefationes sunt in corpore Textus, post ipsum Caput, verbi gratia apud Lucam in Evangelio dicitur *cap. primum*; tunc dicitur. *Quantum quidem multi conati sunt.* Et sic in actis Apostolorum, & sic apud Baruch, postquam dicitur caput sextum, ponitur illa Praefatiuncula? At verò hic epigraphæ præfigitur ante primum caput Threnorum, utpote extra illud.

Baruch. 6.

Luc. 2.  
Act. 1.

389.

D. Thom.  
Rupertus.  
Lyran.  
Vatabl.

D. Hieron.

Matth. 26.

390.

Cornelius.

Artificium.

Miro artificio procedit Propheta in his lamentationibus per literas alphabeticas suo ordine, *Aleph, Beth, Gimel*, & unaquæque in principio cuiuslibet versus affigitur. Quæ res tamen, quænam ratio fuit Prophetae, ut tali methodo scriberet? S. Thomas, Rupertus, Hugo, dicunt aliquid mysterii in hoc contineri, quod nos licet Lyranus, Vatablus dicunt quod in his literis Hebraicis nullum aliud mysterium latere, nisi in ipso litteris, ac si eorum cetera velis interpretari, quibus accedere videtur D. Hieronymus *Epistol. 15.* ad Paul. Urbicam. Rupertus ait quod nos, ac Judæi tanquam pueri voluit Propheta, ut infrueremur ad cordis compunctionem, vitæ emendationem. Dicendum existimo, quod ut res magnæ in memoria retineantur, aliqua exteriora signa dantur, ut recorderemur: Sic & Christus D. dedit Petro in signum suæ futuræ negotiationis galli cantum, ut audita voce *Matth. 26.* de Christi prædicatione recorderetur; cum ergo quæ in Threnis aguntur, maxime expediant, & necessaria sint, ut nunquam è memoria excidant, per notas alphabeticas disposuit Propheta, ut illis visis ad illorum memoriam inducerentur homines, ut nunquam in oblivionem abirent.

390. **M**axime notandum, quòd Propheta quadruplici alphabeto juxta quatuor capita ordinat Threnos. Et cur tot alphabeticæ ponit Jeremias in his suis lamentationibus: Sunt qui dicant cum Cornelio, ut denotetur quòd Jeremias non solum hic deplorabat peccata Judæorum, sed etiam quatuor plagas orbis, ac totius mundi. Dicam etiam, quòd quadruplici alphabeto deplorat propheta causam ruinæ Judæorum, ac omnium regnorum mundi, quæ nascitur ex defectu quatuor Cardinalium virtutum, quia nempe in Jathæ non erat fortitudo, ac constantia, ut perseverarent in obsequio veri Dei, sed *abierunt post Deos alienos.* Quia in eis non erat iustitia, & hæc est causa desolationis omnium Regnorum; *Iustitia habitavit in ea; Alii dormiunt in ea.* Et quia non erat in eis temperantia, sed tanquam *egri essent nunquam abierunt post voluntatem carnis.* Et quia in eis non erat prudentia ad rectè agendum, ac operantem, *Fugit ab eis mens, & consilium.* Hunc quadruplicem virtutum defectum, omnium Regnorum ruinam quadruplici alphabeto deplorat Jeremias.

Tempus, quo Jeremias has lamentationes composuit.

391. **M**ultæ, & variæ sunt sententiæ de hac re, ut videre est apud Leonem Caurensem. Quas probabiliores referam. Prima affirmat, quòd decem, & octo annis, nempe quarto anno Regni Iochim, antequam Ierolyma esset à Chaldeis devallata, Jeremias spiritu prophetico prævidens talem desolationem, eam his lamentationibus deplorat hoc libro, quem librum dicunt Commentatores à Iochim rege fuisse combustum. *Jerem. 36. num. 13.* & statim iussu Dei ab eodem Propheta reparatum esse. *Jerem. ibidem. 32.* Ita multi Rabbin, quos ex Catholicis sequuntur Salmicir. *Prolog. 9. Can. 4.* Petrus Figueroa apud Acoliam, Scholasticus Vatabli. Falsitatem hujus sententiæ ex multis titendis colligere Sanchez *ex cap. 36. Jeremie.*

392. **C**ommunis, ac vera sententia est, hos Threnos compositos fuisse à Jeremia in morte Regis Iosie, ut patet ex Divo Hieronymo *super cap. 12. Zuberæ num. 11. 8. 10.* *Iosias Rex iustus a Pharaone cognomento Necho vulneratus est, super quo lamentationes scripsit Jeremias, quæ leguntur in Ecclesia, & scripsisse eam Paralipomenon, dicitur lib. 2. cap. 35.* Josephus *lib. 10. Antiqu. cap. 6. de Iosia*, ut loquitur, *Sed & Jeremias Propheta pro morte ejus carmen lamentabili modulatione composuit, quod hactenus nescitur permansere.* Sequuntur hæc sententiam antiqui Hebræi, Paraphastes Chaldaus; ex Patribus D. Hieronymus, D. Thom. D. Bonav. Hugo, Rabbanus, Carthusianus in *Trenos*, & ibi Recentiores Malveda, Mariana, Maltona, Abulens. *Praefat. in lib. Reg. c. 14. & in 4. Reg. 23. quæst. 2.* & probant ex *Paral. 2. cap. 35. num. 24.* ubi de Iosia sic dicitur. *Sepultus in Mausoleo Parrum secum, & omnia sua facta & Ierusalem præceperunt eum, Jeremias maxime, cuius omnes captivos, atque Cantarices, usque in presentem diem lamentationes super Iosiam replicant, & quasi lex obiciunt in Israhel, ecce scriptum est in lamentationibus, illis scilicet, quæ Jeremias composuit. Ecce quantum deviat à veritate, dum contra communem sensum omnium sententiam, dicitur in Praefatiuncula, quòd Jeremias composuit has lamentationes, *Postquam in captivitate ductus est Israhel.**

393. **D**icendum est ergo Jeremiam composuisse hos Threnos in morte Regis Iosie, viginti duobus annis, ante Ierolymæ desolationem, ac populi captivitatem in Babyloniam, quam spiritu prophetico prævidit Jeremias, & inde maxime eam deplorat. & sublimius, & aliis elevavit Propheta mentem suam ad Christi mortem, quam super omnia magno lachrymarum iambre, ac intimo dolore deplorat, ac delect, ut nunquam deficiant lachrymæ ab oculis ejus.